MERCKLIN

INDICES
SCHOLARUM

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA CAESAREA
DORPATENSI

PER

SEMESTRE PRIUS ET ALTERUM A. MDCCCLXII

1862

A DIE XX. M. IAN. AD DIEM IX. M. IUN.
ET
A KAL. AUG. AD DIEM XIX. M. DECBR.

HABENDARUM.

L. Mercklin

PRAECEDUNT SYMBOLAE EXEGETICAE AD CURCULIONEM PLAUTINAM.

DORPATI
EX OFFICINA I. C. SCHUENMANNI VIDUAE ET C. MATTIESENI.
MDCCCLXII.

1862

Ex decreto Senatus Universitatis.

Dorpati pridie Cal. Aug. a. MDCCCLXII.

Dr. Bidder, Rector.

Plautinae fabulae ex quo nostra memoria a Friderico Ritschelio primum genuinae formae restitui coeptae sunt, non defuerunt qui praeclaro illius exemplo excitati, et singulas antiqui sermonis reliquias recuperarent et usum loquendi poetae comici perquirerent, et leges metricas quibus idem usus fuerit, sedulo rimarentur, quorum coniuncta opera effectum iri sperandum est, ut quidquid restat emendationis Plautinae habiturum sit aliquando quo tutius nitatur, eoque solo nomine fortasse minus dolendum, quod per duo lustra, si veterum Romanorum sequimur rationem, suscepti operis continuationem, omnium votis expetitam, intermissam videmus. Interpretis autem partes, quae licet ab officio critico plane divelli nequeant, tamen proprium sibi campum requirunt, si unum alterumve exceperis, qui per opportunitatem sive necessitatem criticam ad hanc provinciam delatus sit, paene desertae iacent, ut si quis aut animi remittendi gratia, aut solidioris doctrinae causa, festivissimi poetae mentem assequi cumque aliis communicare voluerit, plerumque se ad Lambinos et Taubmannos reiectum sentiat, quorum animadversiones neque cum forma Plauti, qualis interim evasit, semper conveniunt, neque raro non sufficiunt, quoniam illi modo sensum suum quam antiquitatis praeoptarunt, modo aliorum opiniones congerere, quam proprio Marte veritatem expugnare maluerunt, quod non tam ipsorum vitium, quam temporum fuerit, quippe antiquitatis investigatione et certam viam desiderante et adminiculis quibusdam, quibus nunc adiuvatur, etiamtum destituta. Cuius rei veritatem

cum aliquoties, tum nuper persentiebamus, cum Curculionem Plautinam scholis publicis interpretabamur. Quamobrem anniversaria hac praefandi potestate data visum est fabulae illius aliquot locos proferre, quibus priorum interpretum curae satisfacere non videbantur, ut quatenus nobis contigerit felicioribus esse eruditorum iudicio edoceremur.

Primarium autem huius poetae interpretis officium haud scio an in eo positum esse debeat, ut omnia comici generis instrumenta, quae risus petendi causa adhiberi solent, et observentur et illustrentur. In quibus non ultimum locum tenent dicta ambigua, vel per translationem usurpata, vel hyperbolice et ironice prolata, qualia more suo Plautus per hanc quoque fabulam larga manu disseminavit. In his enim quum eo consilio comparentur, ut decipiant expectationem, eoque hilaritatis sensum excitent, consentaneum est multa significari obscurius quam aperte declarari, et novandi licentiam et fingendi libertatem concessam esse, quibus comici sermonis virtutibus quo clarius Plautinum ingenium exsplendescit, eo magis interpretem decet ad haec attendere atque in iis operam collocare, quae linguae, sententiarum, morumque discrimine tantopere a nostra cogitandi, dicendi vivendique ratione recedunt. Itaque primum ambigue dictorum in Curculione seriem perlustremus.

Atque v. 30 sq. (Fleckeis.) ***curato ne sis intestabilis. PH. Quid istuc est verbi? PA. — Quod amas amato testibus praesentibus*** (cf. v. 622 ***intestatus vivito***) obscenum iocum subesse interpretibus intellectum est conferentibus Mil. gl. v. 1415 ***Et si non abeo intestatus.*** v. 1426 ***PE. Si posthac prehendero ego te hic, separabo a testibus,*** neque eosdem v. 41 duplex potestas verbi ***obloquere*** propter ea quae sequuntur: ***PA. Fiat maxume. PH. Etiam [tu] taces? PA. Nempe obloqui me iusseras. PH. At nunc voto*** fugere potuit, neque v. 72 ***Me inferre Veneri uoui iam ientaculum*** similis oraculi Dodonaei Pyrrho editi amphibolia. In paulo antecedentibus vero v. 46. ***Eam volt meretricem facere: [at] ea me deperit: Ego autem cum illa facere nolo mutuom. PA. Quid ita? PH. Quia proprium facio: amo pariter se-***

mul' ubi a plerisque recte observatur acumen quaesitum esse ex vocabulorum oppositorum ***mutuom*** et ***proprium*** concursu, unum Lambinum (licet ineptire visus sit Pistorio) crediderim universam loci sententiam percepisse, post alia haec addentem: 'Hoc igitur dicit Phaedromus, nolle se hac lege Planesium accipere a lenone, ut eam aliquando reddere cogatur: quod eveniret, si mutuum contraheret, sed velle propriam facere, ut perpetuo ea potiatur et fruatur' i. e. nolle se Planesium meretricis loco accipere, sed uxoris atque ad eam rationem Boxhornius quodammodo se applicabat, quum ita scribi mallet v. 47 ***Ego autem cum illo*** (sc. lenone) ***facere nolo mutuom,*** qua tamen mutatione non opus. Nisi enim haec verba per se aut ambigua forent aut subobscura, non quaesivisset mirabundus Palinurus: ***Quid ita?*** quo facto Phaedromus et animi sui declarandi et simul iocandi opportunitatem nanciscitur. — Paulo maiorem operam facessit locus qui continetur v. 240 PA. ***Quin tu aliquot dies Perdura, dum intestina exputescunt tibi. Nunc dum salsura sat bonast. si id feceris, Venire poteris intestinis vilius,*** quum unius personae ore comprehensus et quasi contractus sit, non inter duas ut reliqui distributus, ita ut cum loquentium vicibus ipsae vocabulorum potestates varient. Cardo autem rei in recte accipienda vocabuli salsurae potestate vertitur, quo Plautus iterum et translate quidem usus est Stich. v. 92 (1, 2, 35). Proximus ad veritatem accessit Gronovius, qui posthabitis priorum editorum commentis: 'Nunc dum, inquit, salsura vel muries intestinorum tuorum, quae conservat intestina tua, sat bona est, integra est, facit officium, ut nondum omnia intestina tua computruerint. Et de vita deque eo quod sani restat in intestinis loquitur ut de muria: de ipsis ut de muriaticis loquebatur. Quemadmodum suibus animam pro sale datam dicebat Chrysippus' [ap. Cic. de fin. V, 14, de n. d. 2, 64, 160]. Idem vero quum translatam salsurae vim obtinere statuat, aut non perspexit, qua necessitate salsura cum lenonis intestinis coniuncta esset, aut dicere saltem omisit. Rem autem ita se habere certum est: leno Cappadox, non solum ***conlativo ventre*** (i. e. 'magno et tur-

gido', ut interpretatur Paulus Festi p. 58 neque tamen nunc propterea 'quod in eum omnia edulia congeruntur', sed potius hydropico) *atque oculis herbeis* (quales esse solent eorum qui regio morbo sive icterico laborant), sed etiam significanti valetudinis descriptione v. 236 *Lien enecat — lien dierectust* lienosum vel si Palinuro credere malumus (v. 239 morbus hepatiarius) iecinorosum se esse prodit, quos morbos tanquam cognatum genus Caelius Aurelianus eodem libri III capite 4 comprehendit. Cum Plautina morbi diagnosi plane convenit Celsus de med. IV, 9: 'At lienis ubi affectus est, intumescit — venter intentus est: aliquis etiam cruribus tumor est'. Sed inter utrumque etiam convenit de remedio. Neque enim tantum Palinuri consilium: *Ambula: lieni optumumst* Celsus comprobat l. l.: 'Hoc vitium quies auget. itaque exercitatione et labore opus est'. sed apud eundem etiam *salsurae* mentio redit: 'Dulcia omnia inimica sunt. — Edenda sunt salsamenta vel oleae ex muria dura', atque salium in medendis his morbis usum et Plinius n. h. et alii medici antiqui contestantur. Plin. n. h. 31, 103 'Morbo regio laborantis — contra pruritus quos sentiunt — iuvat (sal)'. 32, 101. 'morbo regio (medetur) salsamentum cum pipere ita ut reliqua carne abstineatur'. Pariter Galenus et Scribonius Largus lienosis remedia praescribunt ex ammoniaco et aphronitro comparata. Quid quod ipse Plautus fabula non superstite eandem medicinam apertius atque nostro loco pronunciasse credendus est propter versum Sereni Sammonici de med. praec. sal. c. 23, 429: 'Dulcia, Plautus ait, grandi minus apta lieni', qui fragmentis Plauti addendus est. Salium igitur in liene sanando usus vulgatissimus Palinuro pro fundamento fuit, cui is acerbam aegrotantis inrisionem superstrueret. Hinc enim intestina lenonis propter valetudinem salsamentis plena cum carnibus comparans, quae salsura a putredine defendi solent, (Plin. n. h. 31,98. Salis natura — corpora — defuncta etiam a putrescendi tabo vindicans ut durent ita per secula. Cens. de d. n. Alexandriae inter eos qui mortuos salluut. cf. Plin. n. h. 11, 184 Aegyptii, quibus mos est cadavera adservare medicata) ut simul con-

temptum hominis propter quaestum infamis sibique ob heri amores invisi significaret, monet eum ut perduret quousque intestina nuncdum bene sallita contabuerint, ita enim fore, ut, qui nullius sit pretii, aliqua corporis parte deminutus atque eatenus melior factus, (i. e. ***intestinis vilius***, de abl. causali cf. Holtze, Syntax. prisc. scriptorr. Lat. I. p. 142) citius emptorem sit inventurus. Lambinus praeterea iocum subesse videri 'morbo hepatiario' (v. 239) ex lenonis responsione: 'Facilest miserum inridere' coniecit, neque tamen sibi rem liquere, quam Freundius Lex. s. v. de amore per iocum intelligendo interpretatus est. Quo nomine utrumque verum vidisse crederem, nisi graviores causae obstarent, quibus commoti fuerint Acidalius et Bothius ut versum huius scenae 29 huc migrare iuberent (***Lien dierectust. PA. Ambula: id lieni optumumst***), quo interposito lenonis prae tumore et dolore aegre incedentis verba: ***Facilest miserum inridere*** ad ambulandi praeceptum referenda sunt. — Ambiguitas quaedam rursus inesse videtur v. 382 ***Cupio aliquem [mi] emere puerum, qui ussurarius Nunc mihi quaeratur***, ita enim ut statuam permovet quod subsequitur: ***ussus est pecunia***, neque praetermittendum quod praecedit in extremo v. 381 ***essurit***, sono quidem ultimae v. 382 voci cognatum, re diversum. Usurarius autem puer fere idem sonat atque usuarius, quo Luco argentarius ad muneris officia tanquam ministro uteretur (de quibus trapezitarum pueris cf. Beckeri Charikles. T. 1. p. 296), proprie vero est is, qui usuras comparat, corpore puta (Amph. V, 2, 5. 1135. ***Alcumenae usuram corporis Cepi***), quem vulgo meritorium dicebant (Cic. Phil. II, 41, 105), quemadmodum meretrices Suetonio Claud. 11. plenius meritoria scorta audiunt. — Magis mirari subit, quod interpretes adhuc non plane perspexerunt ambiguitatem, quam poeta v. 400 sq. data opera incomitiandi et inforandi verbis subdidit. ***CV. Adulescens, ob rem puplicam hoc intus mihi Quod insigne habeo, quaeso ne me incomities. LV. Licetne inforare, si incomitiare hau licet? CV. Non inforabis me quidem, nec mihi placet Tuum profecto nec forum nec comitium.*** Illa enim per ludibrium a

comitio et foro derivata esse ipsa Curculionis extrema verba aperiunt, neque tamen hac observatione totius loci subtilitas exhausta est. Serio enim dixerat Curculio: ***quaeso ne me incomities***, unde ad iocandum progreditur Luco ita ut et inauditum inforandi verbum fingat ad exemplum incomitiandi, et hoc sibi a comitio deducendum placere significet. Curculio vero, in quem Luco inclementius invectus erat, non de comitio cogitarat, sed ab 'incomi' suum finxerat ***incomities***.*) Atque adiectivi illius nunc unum quidem testimonium superest apud Macrobium, sepultarum vocum suscitatorem perpetuum Sat. 1, 7, 32. 'Alii cereos non ob aliud mitti putant quam quod hoc principe ab incomi et tenebrosa vita quasi ad lucem et bonarum artium scientiam editi sumus'. Paulus autem Festi quum hoc praebeat p. 107: 'Incomitiare significat tale convicium facere, prò quo necesse sit in comitium, hoc est in conventum, venire. Plautus: Quaeso ne me incomities', quod mea quidem sententia ad Luconis tantum verba (v. 401) quadrat, interpretes in eo acquieverunt, moris Plautini in dictis ambiguis parum diligentes. Glossae nimirum illius quisquis auctor est, videtur ex uno Plauti loco, non satis intellecto, suam interpretationem concinnasse. Sagaciores se praestiterunt iidem interpretes in altero verbo explanando, quo ad perforandi obscenam potestatem allusisse poetam sibi persuaserunt, quanquam et huius usus nullum praeterea exemplum extat, neque feliciter Taubmannus versu Rud. II, 4, 5 (418), quem Palmerius ita constituit: ***Item ut affectam: nam nunc nihil est, qua te inaniem***, similem turpitudinem inaniendo sibi deprehendisse visus est. Recte tamen et Taubmannus et Joa. Fred. Gronovius haeserunt in verbis v. 399 ***hoc intus mihi Quod insigne habeo*** interpretum opinioni nihil aliud esse, quam in me, in ore meo merito diffisi. Intus enim adverbium non aliter usurpatur, nisi ut extra vel foris cogitatione saltem suppleri possit. Curculio igitur, qui militis gloriosi

---

*) Id quod subolnisse iam B. F. Schmiedero (Comment. perpet. in Plauti Comoed. p. 127) nunc demum video.

libertum (v. 443) et socium rerum gestarum (v. 438 *In Cariam quia nudius quartus venimus Ex India* cf. v. 394: *Catapulta hoc ictumst mihi Aput Sicuonem*) se praedicat, quemque verisimile est, quo magis condicioni suae et mandato fidem faceret militari habitu prodiisse (cf. v. 464 *ornamenta quae locavi*), respiciens ad arma, quae reapse gestabat, aut saltem in bello gestare simulabat, recte utique dixit: *ob rem puplicam hoc intus mihi Quod insigne habeo,* quoniam insignia militaria ob rem publicam bene gestam accepta extrinsecus conspiciebantur. — Iterum veterum interpretum plerique mihi peccasse videntur, quod in enarrando loco, qui continetur v. 412 sq. *LV. Quis tu homo's? CV. Libertus illius, quem omnes Summanum vocant. LV. Summane, salve. qui Summanus? fac sciam. CV. Quia vestimenta [mea], ubi obdormivi ebrius, Summano: ob eam rem me omnes Summanum vocant. LV. Alibi te meliust quaerere hospitium tibi: Aput me profecto nihil est Summano loci* summananandi verbum (v. 416) e Summani dei natura repetere, quam aliunde derivare maluerunt, cuius dei nomen quum Arnob. adv. g. V. 37 in Proserpinae raptu aperte pro Dite posuerit (cf. Mart. Cap. 2 qui summum Manium interpretatur), hinc Curculionem Summani exemplo omnia quae incidant avide rapere, furari, retinere autumarunt, quorum opinioni adstipulatos esse et Freundium (Lex.) et nuper Prellerum (Röm. Myth. p. 218) miror. Multo rectius ii, qui ut Meursius Plautum e sub et manu composuisse submanare i. e. ὑποχείριον ποιεῖν et ludere voluisse in allitteratione perspexerunt, cui ipsa Romanorum pronunciandi consuetudo favere videri posset (Pers. 450. *Solet illa recte sum manus succedere*), nisi obstarent alia. Primum enim sine iusta causa Summanum furum patronum esse voluerunt, qui potius species quaedam sit Iovis (Or. n. 1216: 'V. S. L. M. Iovi Alto Summano'), cui nocturna fulgura, ut illi diurna, tribuebantur, (Augustin. de c. d. IV, 23, 4) quemque propter nocturnum imperium cum Dite vel Plutone confundebant. Hinc Merkelius ad Ov. Fast. p. CCVIII satis ingeniose Submanum (Pl. Bacch. 4, 8, 54) eundem fuisse Nocturno Etruscorum et omi-

nis causa a meliore proximo matutino tempore (sub, mane) nomen accepisse suum coniecit. Poterat v. d. hoc quoque addere, quod Nocturnum deum Varro in Saturis perpetuo *sopore* et *ebrietate* torpidum introduxit (si modo Varronis sunt, quae ap. Aug. de c. d. frustra quaesivisse Oehlerus fatetur p. 239), quod eundem Plautus Amph. 1, 1, 116 (272) *obdormivisse ebrium* dicit, quemadmodum nostro loco Curculio, Summanus personatus, *ubi obdormivi ebrius* tanquam nocturni dei consuetudinem imitatus, pronunciat. Sed his quoque, ut incertis abstinendum est. Deinde vero, ut ad Meursium revertar, a manu summanandi verbum propterea nunc derivari nequit, quod qui ebrii obdormiunt eos quidvis aliud potius agere quam vestimenta, sive sua sive aliena, furari per somnum solere credendum est. Itaque unum superesse video ut summanare Plautus e particula sub et manando composuerit, simulque hoc novaverit, quod transitiva potestate novicium vocabulum usurpavit. Iam vides rursus hoc loco turpem iocum latere quoniam summanare vestimenta non multum distet a summeiendo, quo tamen vocabulo et similibus Plautus, tanquam spurcis constanter abstinuit. Nunc demum intelligitur, quid sibi velint illa 'ubi obdormivi ebrius', quae priorum interpretum rationem si sequaris aut repugnant aut frigent. Neque nunc disconvenit Luconis responsum ad aliud hospitium ablegantis Curculionem, qui scilicet timendus sit ne per ebrietatem et somnum vestimenta, lectum, cubiculum inquinet. Vestimenta enim quanquam Plautus appellare solet quae induuntur corpori, tamen nihil videtur impedire, quominus vestimentorum nomine stragulae vestes et tegimenta lectorum comprehendantur (cf. Dig. 34, 2, 23 (al. 24). 50, 16, 45), unde additamenti Fleckeiseniani [mea] veritatem addubitare licebit. Possit quidem huc trahere aliquis choragi verba v. 464 *Ornamenta quae locavi metuo ut possim recipere,* metuentis scilicet vestitui scenico Curculioni praebito propter illius confessionem periculosam, sed sucophantae mentio atque annulus militi surreptus sufficere videntur ad eum metum incutiendum, modo ne quis cum Lambino ex halophantae appellatione habitum mari-

num Curculionis colligat. Ceterum confitendum est, iam ante nos Geppertium versione Germanica (Berol. 1845. p. 51) verum summanandi sensum expressisse: 'Weil ich die Kleider, wenn ich trunken eingenickt, Zu berieseln pflege. Deshalb heiss ich Rieselgott'. De Summano deo igitur toto loco nihil praedicatur, nihil inde de natura eius concludi potest, ut mihi adeo incertum sit, volueritne Plautus plane dei nomen ponere, nam si nobiscum statueris militari ornatu parasitum in scenam prodiisse, non dissimile vero erit, eundem ficticio Summani nomine non dei illius, sed potius summi ordinis militaris, quales sunt primani, quartani, decumani, honorem sibi arrogasse. Qua de re quamcunque opinionem conceperis, hoc constare protinus largieris, Plautum Summani nomen tanquam ambiguum proposuisse, unde mox praeter exspectationem humilem summanandi significationem eliceret.

Transeo iam ad locos alios, quos licet nullis quaesitae ambiguitatis ambagibus obscurati sint, tamen nondum liquido perceptos esse sentio. Sic in verbis Palinuri, quibus is Planesium heri osculis amplexibusque sese non divellentis increpat v. 189: '*Quid ais propudium? Tune etiam cum noctuinis oculis odium me vocas, Ebriolae persolla nugae?* noctuini oculi cum interpretibus non sunt pro deformibus vel ingrati Romanis coloris vel tanquam avis inauspicatae accipiendi. Ipsa enim puella non solum amatori suo sed etiam Palinuro lepida videtur (v. 167), mox liberalis (v. 209), eadem lenoni bella (v. 521), neque coruscantes noctuae oculi, quae Minervae sacra fuit, cui et ipsi ut aetheris ignei deae γλαυκώπιδος epitheton inditum est (cf. Preller, Griech. Myth. p. 155. Welcker, Gr. Götterl. 1. p. 303. Gaedechens, Glaukos, p. 36 ann.) propterea ad puellam translati ullam cavillandi vel convitiandi potestatem facere poterant. Sed tenendum est totum primum fabulae actum noctu peragi, atque hunc nocturnum et clandestinum congressum a servo herili iuveni obici (v. 22, 49). Idem ubi amantum invicem se depereuntium testis factus est, in sententia perseverans, non sibi temperare potest, quin exclamet v. 181: *Quid tu? Venerin pervigilare te vovisti*

Phaedrome? et mox propter molesta verba ab hero male mulcatus (v. 196) *Veneris noctuuigilae* fidem implorat. Itaque nulla videtur esse causa proclivior, cur noctuinos oculos puellae tribuerit, quam quod ipsi quoque nocturnos illos atque clandestinos amores, tanquam indignos criminetur, similitudine petita a noctua, quae nocturno tempore volet, interdiu vero hebetes oculos habeat. Haec autem cum ceteris convitiis, quibus eam persequitur propter inhonestam condicionem, optime conspirant. — Curculio ubi se a Therapontigono esse eo ostendere conatur, quod nimium quantum exaggerando illius victorias celebrat, nondum video observatum esse, eundem in describenda statua aurea solida, quam ille factis monumentum suis esse voluerit, non prorsus fortuito *septempedalem* mensuram posuisse (v. 441). Nam ut certum est eo modulo significari simulacrum, quod naturalem hominis speciem aut aequet aut excedat (Gell. 3, 10, 10 'Praeter hoc modum esse dicit (Varro) summum adolescendi humani corporis septem pedes'), ita in his quoque rebus antiquitus sive leges sive morem obtinuisse fidem faciunt Livius, 8, 10, 12: 'si is homo qui devotus est moritur, probe factum videri: ni moritur, tum signum septem pedes altum aut maius in terram defodi' et Plinius n. h. 34, 24 de legatis Romanorum a Teuta Illyriorum regina interfectis agens: 'Non omittendum videtur quod annales annotavere, tripedaneas iis statuas in foro statutas: haec videlicet mensura tunc erat' (cf. Müller. Hdb. d. Archäol. d. K. § 420, 3). Qua data occasione verbo monendum est Plautum in significatione multitudinis incertae non solum sexcentorum numero, sed etiam *quingentorum* uti, nostrae fabulae v. 587. *In tritico facillume Vel quingentos curculiones pro uno faxo reperies,* Mil. gl. 1, 1, 52: *Quid in Cappadocia, ubi tu quingentos semul, Ni hebes machaera foret, uno ictu occideras?* Aul. 3, 6, 17 *Qui intromisisti in aedibus quingentos coquos.* — Locum affectus plenum habemus V, 2, 22 sq. (v. 621 sq.), quo et ipsa τοῦ ἀναγνωρισμοῦ περιπέτεια continetur, et antestandi ritus vivide repraesentatur. Hinc crebrae personarum mutationes, quas editores ali

aliter dispertiunt, interpretes neque satis, neque eodem modo omnes explicant. Nobis quid videatur paucis significemus. Phaedromus militem propter furtivae atque ingenuae virginis mercatum in ius vocat (v. 621): ***Ambula in ius.*** Ille renititur: ***THERAP. Non eo.*** Ad Curculionem conversus ***PH. Licet antestari?*** Negat ***TH. Non licet.*** Iam exsecratur militem Phaedromus. Simul vero ***CV.*** testem se offert: ***At ego*** (is sum), ***quem licet*** (antestari). Itaque advocat eundem Phaedromus ut auriculam prehendat: ***Tu accede huc.*** Miles ut impediat rem: ***Servum antestari? vide. CV.*** illius calumnia obstupefactus, neque vero verberans militem: ***Hem, Vt sciat me liberum esse.*** Iam quae subsequuntur ***Ergo ambula in ius*** quomodo militis esse possint, non video. Sunt enim aut continuantis Curculionis, aut quod praestat Phaedromi, qui militis tergiversatione explosa in ius vocationem repetit, quemadmodum Saturio Pers. IV, 9, 8 et 13 ***Age ambula in ius leno. — Surdus sum: ambula.*** Qua re exacerbatus miles verberat Curculionem, addito: ***Hem tibi.*** Qui sequitur v. 626 nullam dubitationem admittit. Sed proximo v. 627 Phaedromi sermo ex subita animi conversione explicandus, non enim perseverat in iure persequendo, sed quo militem iratum placet sibique morigerum faciat, ad partes eius transire simulat. Itaque ad Curculionem conversus PH.: ***Accede huc tu,*** non eo consilio ut testem faciat, sed ut militi dedat. ***ego illum*** (Curculionem) ***tibi*** (Therapontigono) ***dedam.*** Neque tamen dedit, sed retinet. Curculionem autem tacere iubet: ***tace.*** Retinuisse vero Phaedromum parasitum ostendunt militis placati verba v. 633 ***Mitte istum: ego dicam omnia.*** Denique v. 634 verba: ***Face me certiorem*** [***te***] ***obsecro*** non Phaedromo, sed Planesio tribuenda sunt, cui ad militis genua etiamtum provolutae is statim respondeat: ***Ego dicam, surge.*** — Scenae extremae v. 693 ***TH. Collum obstringe, abduce istum in malam crucem*** et v. 702 ***PH. Mitte istum*** non possunt intelligi, nisi sumas puerum militis sive lorarium affuisse, cui illa mandantur.

Supersunt quaedam levioris momenti, quae similibus locis comparatis expediri possunt. Planesii dictum 1, 3, 56 (v. 212) ***Hem, istoc verbo***

vindictam para, quo praeeunte Gronovio Holtzius p. 142 recte ablativum causae agnovit, illustrat Men. II, 1, 26 (v. 251). *Hem, Illoc enim verbo iam esse me servom scio.* Verbum autem rem quae verbo significatur cum Gronovio interpretabimur, ad totum enunciatum praegressum referentes. cf. Aulul. 3, 6, 11. *Illud mihi verbum non placet: quod nunc habes.* Truc. 4, 2, 32. *Verum est verbum, quod memoratur: ubi amici, ibidem opus.* — II, 2, 18 *Si quidem incubare qui periurarint velint, Locus non praehiberi potis est in Capitolio*, eo efficacius ipsi lenoni Cappadoci poeta tribuit, quod ita suorum morum censuram agit. Perfidiam enim lenonum ut ipsis propriam Plautus Merc. 1, 1, 50 ponit, periurum lenonem Apul. Flor. III. p. 16. — V, 3, 20 sq. *PL. Bene et pudice me domi habuit. TH. Hau voluntate id sua: Aesculapio huic habeto quom pudica's, gratiam, Nam si is valuisset, iam pridem quoquo posset, mitteret.* Haec quum per se dubia sint, et a Phaedromi dicto: *Eam volt meretricem facere* lucem accipiunt, et Asin. 1, 3, 195 *illa alio ibit tamen*, v. 229 *dic, quid me aequom censes pro illa tibi dare, Annum hunc ne sit cum quiquam alio?* v. 196 *nam si ea durarent mihi, Mulier mitteretur ad te* —.

I. Scholae Ordinis Theologorum.

HENRICUS KURTZ, D., Exegeticae et linguarum orientalium P. P. O., Ord. Theol. h. t. Decanus: 1) Historiam canonis V. T. tradet sec. F. Keilium (Lehrb. d. Einl. ins A. T., 2. Aufl., Frankf. 1859) d. Mart. h. V et VI et Merc. h. V; 2) Iesaiae partem priorem explanabit d. Merc. h. VI et dd. Ven. et Sat. h. V et VI; 3) in Seminario theologico exercitationes exegeticas moderabitur.

ARNOLDUS CHRISTIANI, D., Theologiae practicae P. P. O., ad concionandum in sacris academicis publice constitutus: 1) Theologiae practicae partem I exponet sec. Nitzschium (Pract. Theol., Bonn 1847) d. Lun. h. XII, d. Mart. h. XI et XII, dd. Jov. et Ven. h. XI; 2) Lutheri catechismum explicabit dd. Jov. et Ven. h. XII; 3) in Seminario theologico exercitationes homileticas et catecheticas moderabitur d. Merc. h. X et XI.

MAURITIUS AB ENGELHARDT, D., Historiae ecclesiasticae et litter. theol. P. P. O.: 1) Historiae ecclesiasticae partem III sec. Kurtzium (Lehrb. d. Kirchengesch., 4. Aufl., Mitau 1860) tradet quater h. VIII et d. Ven. h. VIII; 2) Historiam biblicam N. T. sec. Lichtensteinium (Lebensgesch. Jesu in chronol. Uebers., Erlang. 1856) quater h. VIII; 3) in seminario theologico Augustini de civ. d. libros interpretandos proponet d. Iov. h. III.
